

gamur conditori Deo & magis magisque ad Numinis amo-
rem cultumque accendimur, ac ita non illud modò adipisci-
mur, ne infelices vivamus in terris, sed etiam ut æternum,
simus felices. Quodsi verò nusquam alibi spectatius naturæ
artificium, quam in insectis elucere, *Plinius hist. nat. l. II. c. I.*
exclamavit, quantò magis hominis structura vel ideò erit ex-
tollenda, quòd cum universum hoc simplici mandato:
Fiat aliave simili voculâ factum revelaverit sacra veritas, in
homine condendo Jehova Verbis emphaticis: Faciamus ho-
minem ad imaginem nostram secundum similitudinem no-
stram, veluti deliberabundus introducatur Artifex. Tantò
igitur nobilior est censenda natura hominis, quantò miracu-
losius in formando homine operatus est Creator sapientis-
simus. Commodè autem humani corporis artificium,
& hoc ex opere suo Opificem summum assequi licebit u-
nicuique, qui illud analysi professoriâ accuratius dissol-
vere, vel in suas solutum partes attentius intueri non ab-
horret. Anatome namque, qualis ea hoc seculo subti-
liter & minutim est exculta, ita præparat Humanum cor-
pus ac reconditissima quævis in eo detegit, ut in pro-
fundissimam Divinæ Sapientiæ abyssum paulò altius in-
trospicere & Majestatem Artificis clarissimè queamus de-
prehendere. Quemadmodum enim Summus ille Plastes
hujus universi in omnibus suis operibus quasi visibilis est; ita
in humano corpore quasi manu palpari potest. Nulla quip-
pe pars est, quæ non sit impressa Divinitatis characteribus,
quæ Dei digitum non ostendet; & quò magis eæ confringun-
tur ac in minores partes dividuntur, eò inimitabilis earundem
structura magis magisque detegitur & innotescit, indicio ma-
nifestissimo, in minimis Deum videri velle maximum. Deus
enim artifex ita est magnus in magnis, ut minor non sit in
parvis, quæ parva non sua granditate, sed artificis sapientiâ
metienda sunt, eleganter scribit *D. Augustinus L. II. de Civit. c.*
XXII. Evidentissimum igitur Divinæ Sapientiæ argumentum
Anatome exhibet, sive integrum humanum corpus, sive
par-